



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam
ad majorem omnium in Ascési proficere cupientium utilitatem ac
subsídium

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1685

§. 3. De vana Gloria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

tamen & tempore primus est. Sævissima, & superioribus cunctis immanior bestia, perfectos maximè tentans.

IV. Tertium est, ut bene agnoscere studeat radicem hujus vitij, quò faciliùs & efficacius illud sanare possit; sic enim S. Gregorius monuit dicens: Vitium superbiæ ab ipsa radice secandum est, ut, cùm latentè oritur, tunc vigilanter abscindatur, ne profectus vigeat, nec usu roboretur. Porro radix hujus vitij potissima est, quod bona, ob quæ quis effertur, ut propria aspiciat, & plùs æquo æstimet; unde duo potissimum media ad hanc radicem extirpandam adhibenda erunt. Primum est, ut certò sibi quisque persuadeat, omnia bona, quæ habemus, DEI, dona esse, ac proin non modò ob ea extolli non debere, sed graviter potiùs timere, ne, quò plura sunt collata, eò gravior, severiorque à nobis ratio exigatur. Alterum est, ut pariter bene sibi persuadeat, alia longè esse DEI, quàm hominum judicia, ut adeò meritò SS. Augustinus & Gregorius dixerint: Væ laudabili vitæ hominum, si remota pietate judicetur; quia unde ante oculos Judicis se placere suspicatur, obruitur.

§. III.

De vana gloria.

I. Est inordinatus Gloriæ appetitus. Gloria autem est clara aliorum de nobis, bonaque æstimatio, de qua quatuor specialiter doctrinas bene apprehendere debet Asceta.

II. Primum est, ut bene cognoscat rationes, ob quas nihil sibi tribuere, omnémque laudis appetitum exclu-

excludere debeat; Quæ ad quatuor pariter fonte revocari possunt. 1. Ad *DEUM*: Cui soli debetur gloria, tum quia sibi reservavit; tum quia tibi vitæ & gratiam ad opus contulit. Unde Apostolus: S accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 2. Ad *ipsum*, qui *laudem appetit*: Qui, si omnes virtuosas actiones possibles solus exercuisset, easque *DEO* obtulisset, ne unam quidem minimam partem ex infinito illo debito, quod apud *DEUM* contraxit, solvisset; quantò minùs ergo de unico tantùm vel altero bono opere, cui ipsi fortè plures imperfectiones mixtæ sunt, gloriandum erit; an non stultus crederetur, qui laudari cuperet, quòd ex debito multorum millium talentorum obolum solvisset? 3. *Ad eos, qui laudant*: & in ordine ad veram bonitatem actionum judicandam perinde inepti sunt, ac infans aut stultus aliquis, cùm intentionem à qua omnis actionis bonitas dependet, non cognoscere queant, atque adeò plerumque pro affectu suo de rebus judicent. 4. *Ad ipsam laudem, quam appetit*: Quæ cùm vanissima sit cogitatio aut sonus, nihil utilitatis hominibus, cujus omnis gloria ab intus est, afferre potest. Unde meritò pius Asceta dixit: Quomodo potest erigi vaniloquio, cujus cor in veritate subiectum est *DEO*? non eum totus mundus eriget, quem veritas sibi subiecit; nec omnium laudantium ore movebitur, qui rotam spem suam in *DEO* firmavit. Nam & ipsi, qui loquuntur, ecce omnes nihil, deficient enim cum sonitu verborum, veritas autem Domini manet in æternum.

III. Alterum est, ut bene apprehendat, hoc vitium, uti perfectis maximè insidiatur, ita ab his speciatim

etiam cavendum esse; ut enim Piratæ illis navibus magis insidias struunt, quas pleniores mercibus esse sciunt; ita & Dæmon per vanam gloriam ijs præcipuè insidiatur, quos in virtutibus magis profecisse novit. Unde rectè S. Augustinus dixit: Qui benedicit, vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit vitium inanis gloriæ vel solum, vel maxime cavendum esse perfectis, quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc ultimum vincit. Hinc S. Nilus Abbas narrat, olim Tirones à provectoribus separatim fuisse institutos, & illos quidem abstinentiam, carnisque mortificationem præcipuè doctos, hos verò adversus vanam gloriam fuisse munitos.

IV. Tertium est, ut sciat, solidum & efficacem modum fugiendi hoc vitium: Qui in duabus potissimum doctrinis consistit, quarum prior tradita est à Ludovico Granatensi his verbis: Quisquis humanæ gloriæ cupiditate tangitur, sibi ipsi dicere debet, quod Joseph Dominæ suæ ad adulterium invitanti respondit: Ecce, inquit, Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, præter te, quæ uxor ejus es: Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Verè enim omnium bonorum suorum participes nos DEUS efficiens, unam gloriam sibi tanquam legitimam Sponsam reservavit. Quid igitur indignius, quàm & hanc gloriam velle præripere, & Creatoris gloriam Creaturæ velle copulare? Posterior doctrina à S. Bernardo traditur sic loquente: Cavete oculos Basilisci. Sed cui nocere dicitur Basiliscus? qui non viderit ipsum. Alioquin si tu eum prior videas, jam non no-